

titisse. Ingenitum etiam negabat, sed nomine intelligebat increatum, ut post videbimus. Hinc est, quod ipsum Filium dicebant substitutum fuisse voluntati Dei, ut creaturam perfectam et immutabilem, sed non ut unam creaturarum; quod epistola quædam alterius Eusebii Cæsariensis, validi Arianismi fautoris ad Alexandrum patriarcham data declarat, cujus fragmenta recitantur in Concilio Nicæno II actione VI: « Ibi, inquit, Arius ejusque studiosos accusari ab Alexandro, quod Filium ex non ente instar unius omnium factum esse dixerint; illos vero exponentes fidem suam his verbis confiteri, quæ sentiunt, Deum legis et prophetarum ante sempiterna sæcula generasse sibi Filium unigenitum per quem et sæcula, et omnia fecit. Generasse autem non videtur, sed in veritate propriæ voluntati substituisse immutabilem et et inalterabilem creaturam Dei perfectam, verumtamen non ut unam creaturarum. Tua vero epistola accusat eos quasi dixerint, quod Filius factus sit tamquam unus omnium, cum tamen hoc non dixerint, sed aperte pronuntiant, non ut unam creaturarum » Sic et Arius ipse cum collegis suis exauctoratus, gradusque presbyterii dejectus ad eundem Alexandrum episcopum suum officiosas litteras dederunt, quas recitat S. Epiphanius hæresi LXIX eadem se astutia et subdola calliditate celantes, ut viderentur rectam fidem non deseruisse, sed tamen tali æquivocatione, aut etiam mendacio utentes, ut nullo modo Filium Patri consubstantialem faterentur, sed creaturam incommutabilem, et ante tempora. « Deum, inquit, genuisse Filium unigenitum ante tempora æterna, per quem et sæcula, et reliqua fecit; genuisse autem non in apparentia, sed in veritate: substituisse vero propria voluntate im-

mutabilem et inalterabilem creaturam Dei perfectam, sed non velut unam ex creaturis foeturam, sed non velut unam ex foetibus sive genituris. » Et infra: « Sed sicut dicimus voluntate Dei ante tempora et ante sæcula creatum esse, et vivere ac esse a Patre accepisse, ita ut Pater simul substituerit ipsi glorias. » Addebant infra: « Filius sine tempore genitus est a Patre, et ante sæcula creatus ac fundatus non erat antequam gigneretur, sed sine tempore ante omnia genitus solus a Patre substitit. Neque enim est sempiternus, aut consempternus, aut coingenus Patri, neque simul cum Patre ipsum esse habet, velut quidam de his, quæ ad aliquid appellantur, dicunt duo ingenua principia introducentia. Sed sicut unitas et principium omnium, ita Deus præ omnibus est, et ante Christum est, velut a te didicimus in media Ecclesia prædicante. » Sic illi. Ubi clare apparet hæretici hujus vafrities, et quomodo suam hæresim moderari conatus est, non ita absolute Filium Dei creatum pronuntians, sed immutabilem et perfectam creaturam, et non sicut unam ex creaturis, et ante omnia tempora genitum a Patre, sed ex alia parte non ei sempiternum affirmabat, neque simul cum Patre habere esse, quod est ejus consubstantialitatem negare; et tamen per ipsum omnia facta esse dicebat, in quo callidissime suum occultabat venenum, intelligens per ipsum omnia esse facta tamquam per instrumentum, non tamquam per supremam virtutem et omnipotentiam. Quod egregie in epistola citata B. Alexander detexit, cum ex persona Arii inquit eum dixisse: « Suam ipsius essentiam ut est, Filium non percipere, quippe Filium nostra causa factum esse, ut Deus per ipsum, tamquam per instrumentum nos crearet, neque ex-

titisse aliquando, nisi Deus nos creare in animam induxisset. » Dicebant ergo per ipsum facta esse omnia, tamquam per instrumentum, et ad hoc Deum fecisse, seu creasse Filium, ut instrumentum haberet quo reliqua crearet.

SECUNDA MODERATIO ARII, ET EUSEBII CÆSARIENSIS.

IX. Adeo totum orientem Arianæ impietatis flamma corripuit, ut S. Sylvestro, et Constantino magno, causa hæc generali et œcumenico Concilio digna visa sit, coactaque est Nicæna Synodus 318 patrum, qui ex toto orbe clarissimi et præstantissimi habiti sunt. Ibi hæresis Ariana damnata est, sed non furor ejus aversus, licet ad tempus consopiri visa sit. Cumque patres subdolum hæreticorum mentem, et vafrum ingenium perspexissent, et quot quantisque subterfugiis veritatem obscurarent, nec facile iis posse omnem aditum occludi, quominus ipsi viderentur veram fidem profiteri, cum tamen in suo permanerent errore, accuratissime in Concilio tractatum est qua voce et quo nomine fides catholica significaret divinitatem Filii, taliter quod nullatenus cum Ario communicaret, sed ab ejus errore prorsus segregaretur. « Cumque Synodus in hoc esset (inquit S. Athanasius in epistola de decretis Nicænae Synodi contra hæresim Arianam) ut Arianorum impia vocabula tollerent, et voces adhibere vellet; quæ sine controversia sacram litterarum essent, nimirum eum Filium esse, et nequaquam ex non entibus esse, sed ex Deo, eumque Verbum esse, et sapientiam, ac nequaquam creaturam aut facturam, sed germen proprium sui Patris. Eusebiani pro inveterata sua et prava opinione volebant illud: Ex Deo

esse, commune esse, et ad homines quoque pertinere. » Hinc factum est ut patres clarioribus verbis rem tantam explicare volentibus, addiderint ly ex Deo esse, idem esse ac Filium ex substantia Dei esse. Deinde, affirmantibus orthodoxis episcopis scribi debere, quod Filius esset potentia et imago Patris, et similis illi immutabilis per omnia, æternus, indivisus in Patre, etc. neque hoc Eusebiani abnuebant, quia esse similem, et esse imaginem Dei, etiam de homine id pronuntiat Scriptura, et sic non omnino discernebat Filium Dei a creaturis, ideo patres: « Considerata illorum vafritie et hyprocisi, addit Athanasius, ubi supra necessitate coacti sunt sententiam earum rerum ex Scripturis colligere, et quæ prius dixerant apertioribus verbis repetere, et scribere, Filium consubstantialem esse Patri, ut non solum similem similitudine, sed eundem ea voce, qua ex Patre esse dicitur, significarent. Qua quidem voce omnis Ariana impietas jugulata est, et licet eam exoticam, seu novam esse calumniarentur, nec in sacris litteris reperiri, tamen ab antiquioribus patribus usurpatam et ejus significationem ex Scriptura depromptam pluribus Athanasius docet ubi supra. Et quod magis mirandum est, ab ipsismet fidei hostibus vox ista accepta est, ut non solum in funda, et lapide contra gigantem prævaleret Ecclesia, sed suo ipsius gladio impii Goliath caput amputaretur. Ut enim inquit Ambrosius lib. III de fide ad Gratianum, capite ultimo: « Auctor ipsorum Eusebius Nicomediensis epistola sua prodidit dicens: Si verum Filium Dei increatum dicimus, homousion, consubstantialem cum Patre incipimus confiteri. Hæc cum lecta esset epistola in Concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu fidei posuerunt patres, quod viderunt



adversariis esse formidini, ut tamquam evaginato ab ipsis gladio, ipsum nefandæ caput hæresis amputarent. » Sic Ambrosius.

X. Ut autem possent Ariani aliquod subterfugium invenire, postularunt ut Pater solum diceretur ingenuus, nempe ut per consequentiam deducere possent Filium non esse increatum, quia non erat ingenuus, pro eodem divulgantes ingenuum et increatum, seu non factum, genitum autem idem quod factum. Sed S. Synodus sic Filium genitum pronuntiavit, ut adjecerit non factum, ad eorum imposturam deludendam, et sic in Symbolo positum est: Genitum non factum consubstantiali Patri.

XI. Occlusi undique Ariani cesserunt ad tempus, definitionique Synodi consenserunt, et subscripserunt, præsertim ob Constantini timorem, et licet aliqui eorum aliquantisper hæsitarent, ut Eusebius Cæsariensis, alii etiam irriserint vocem homousion, et restiterint præsertim subscriptioni damnationis Arii, tandem tamen ipsam fidei regulam a S. Concilio definitam susceperunt, sed subdole, et faciliter. Nam, ut constat ex litteris Eusebii Cæsariensis ad Ecclesiam suam missis, quas recitat Socrates lib. I, cap. v, simpliciter in primis confessus est Filium esse Deum, Dei Verbum, ante omnia sæcula genitum per quem omnia facta sunt; sed in voce consubstantialis, et non facti admittenda dolositatem suam explicavit. Dixit enim dupliciter intelligi a se illam vocem consubstantialis, et ly ex substantia Dei esse. Primo, quod non aliud significaret, quam Filium ex Patre esse, et non divisum, seu non partem aliquam Patris esse. Secundo, quod Filius nullam haberet similitudinem ad reliquas creaturas, sed unius Patris qui illum genuit omnino similem

esse, neque ex alia, quam ex Patris substantia et essentia genitum. Similiter illam vocem genitum non factum, sic se approbasse dicebat, quatenus Filius non esset factus sicut reliquæ creaturæ, quæ per ipsum factæ sunt, nec earum simile quidquam haberet, sed præstantioris esset substantiæ, quam ulla creatura, sed non absolute negabat esse factum et creatum. Ita Eusebius in epistola citata. Unde patet, quod Ariani, licet voces illas admiserint, ut specie tenus viderentur a Concilio non dissentire, tamen veram consubstantialitatis significationem et sensum quo a patribus Concilii posita est, non admiserunt, sed in alium longe diversum sensum detorserunt. Et sic nunquam Ariani vere, et sincere consubstantialitatem professi sunt. In hoc tamen eorum errorem amplius moderatus est Eusebius in hac epistola, quod Filium omnino similem Patri esse docuit, et ex ejus substantia et essentia genitum dixit, et ante omnia sæcula, licet non in eadem numero essentia, et substantia, quod est negare consubstantialitatem. In quo ad Semiarianos videtur declinasse, ut jam ex eorum errore videbimus.

TERTIA MODERATIO SEMIARIANORUM  
ET DISSENSIO DISCIPULORUM ARII.

XII. Extincto Constantinopoli Ario et in morem Judæ in secessu effusus ejus viceribus, non tamen statim ejus discipuli, et fautores contra Nicænæ fidei regulam quidquam statuere ausi sunt, sed consubstantialitatis vocem, vivente Constantino Nicænæ fidei acerrimo defensore, saltem quoad speciem tenuerunt. Sublatus est autem Arius uno anno ante Constantini obitum. Post quem

regnante Constantio, Arianorum fautore in Antiochena Synodo, ubi plusquam nonaginta episcopi ad encæniam seu dedicationem templi a Constantino incepti, et post mortem ejus absoluti, convenerunt, cepit ab Eusebianis formula Nicænæ fidei mutari, sublata consubstantialitatis voce, ipsis semper infensissima (licet faterentur se Arii sectatores non esse, sed potius Arium ad ipsos revertentem fuisse admissum) et licet plures ex illis episcopis orthodoxi essent, tamen ab Eusebianis qui triginta sex erant, diversa forma fidei concepta et tradita est, nec una tantum, sed quatuor diversæ formæ traditæ sunt, ut Socrates lib. II, cap. VII, et ante ipsum S. Athanasius libro de Synodis tradit. In prima formula, neque consubstantialitatem Filii cum Patre, neque ex substantia Patris esse dixerunt, licet ante sæcula genitum, et una cum Patre, qui eum genuerat, extitisse dixerint. Sed quia nimis parce et jejune de divinitate Filii sibi videbantur egisse, ac proinde facile in Arianis suspicionem venire posse, aliam amplioribus verbis ediderunt, ubi plura attributa Filii explicarunt, nempe esse Deum de Deo, ante sæcula genitum, vitam, lucem, sapientiam, etc. Quod vero attinet ad vocem consubstantialis, ea ommissa, dixerunt eum esse expressam divinitatis, essentiæ, virtutis, consilii, gloriæ Patris imaginem. Hanc formam fidei sub titulo Luciani martyris, qui multo ante passus fuerat, et apud quem dicebatur scripta, vulgarunt, ut tradit Sozomenus lib. III histor. cap. V. Aliæ vero duæ formulæ ibidem ab Eusebianis statutæ, nihil de consubstantialitate, aut similitudine substantiæ in Filio addiderunt, sed eum esse Deum genitum ante sæcula ex Patre, et cum Patre existentem, aliaque ejus attributa prædicabant. Ne vero aliquis

putet Arianos cum Filium dicerent Deum, hoc ipso negasse quod esset creatura, sciat ipsos nomine Dei non abstinuisse, sicut nec nomine imaginis aut similitudinis Dei, quia etiam hoc nomen Deus aliquando invenitur creaturis attributum in Scripturis, ut Psal. LXXXI: *Ego dixi dii estis*: Exodi IV: *Constitui te deum Pharaonis*, scilicet deum participative. Quæ autem creaturis aliquo modo attribuuntur, non abnuebant Filio concedere.

XIII. Occasione autem illius secundæ formulæ fidei, in qua Filium expressam similitudinem essentiæ seu substantiæ Patris nominabant, factum est ut vocem homousion, hoc quæ consubstantiali significat, quasi emollito rigore in homousioun hoc est similem in substantia commutarent, ita ut ipsa similitudine vocis, et adsonantia plerosque fallerent, quasi voce catholica utentes.

Cæterum hinc videtur orta Semiarianorum secta, qui moderatius quam Ariani loquebantur in hac parte, neque cum Arianis sentienter, neque cum catholicis. Alii etiam exorsi sunt, qui ad antiquum rigorem erroris Ariani revertentes, primam Arii impietatem iterum vulgarunt, dissimilem omnino Filium ipsi Patri profitentes. Nam Semiariani, tum in dicta Synodo Antiochena, quæ dicta est in encænias, tum in Synodo Sirmiana, Ancyrana et aliis, imo, et in Synodo Ariminensi, suam formam fidei proposuerunt, dicebantque Filium esse similem per omnia Patri, etiam in essentia, nec esse ex nihilo, seu ex non ente, nec ex alia substantia, quam ex substantia Dei, nec fuisse aliquod tempus in quo non esset Filius. Solum vero negabant consubstantiali Patri esse Filium, seu homousion, sed homousion, id est, similem substantiæ Patri; atque ita



essentialem, sed non coessentialem dicebant Filium Patri, prout tradit Epiphanius hæresi LXXIII, et Hilarius in libro de Synodis. Et quidem hi qui Filium ex substantia Patris dicebant, ut minus nocivi ab aliquibus catholicis tolerabantur. Sed erant alii deteriores, qui nec vocem consubstantialis in Filio, nec vocem substantiæ admittere volebant, sed utramque vocem ablegandam, et solum fatebantur Filium similem Patri, aliquando quidem dicendo per omnia esse similem, aliquando solum similem, aliquando autem nec vere, nec proprie similem, et tandem aliqui, ut diximus, in apertam proruperunt insaniam, ut omnino dissimilem dicerent.

XIV. Constat hoc manifeste, nam cum auctore Constantino, indicta esset œcumenica Synodus sub consulatu Eusebii, et Hypatii qui accidit anno Christi 359 sub Liberio papa, sed magna calliditate Ariariorum, in duas partes Synodus divisa est, ut testatur S. Athanasius in libro de Synodis, ita ut pars Synodi, seu una Synodus ageretur Arimini in Italia, alia Seleuciæ in Isauria. Et in Ariminensi Synodo, ubi major pars orthodoxorum erat, catholice quoque primo processerunt. Sed postea vehementissime instantibus Ursacio, et Valente, aliisque Ariariorum impietatis antesignanis id tandem actum est, ut vox consubstantialitatis, et substantiæ ablegaretur sub colore pacis et concordiæ, et loco ejus similis Patri diceretur, sed ipsi hæretici legatos ad imperatorem mittentes fidei suæ formulam quam Arimini proposuerant, ubi Patri Filium per omnia similem dicerent, sic in deterius temperarunt, ut tantum ponerent similem, et illud excogitarunt commentum ut Nicæ aliqui episcopi convenirent, ibique ex fidei formula eximerent voces illas substantiæ et consubstantialitatis, et loco

earum Filium dicerent similem Patri, et hanc formulam tamquam Nicænae Synodi venditarent, ut refert Theodoretus lib. II histor. cap. XXI. Sed et in Sirmiana Synodo duobus ante annis, ubi Osius dicitur minis fractus Ariariorum favisse, cum prius in formula fidei Filius ex substantia Dei esse diceretur, postea secunda forma facta est, in qua vox homousion, et homiusion ablegata est, ut nec consubstantialis, nec similis in substantia diceretur, ut Athanasius in libro de Synodis, et Hilarius in libro item de Synodis, et Socrates lib. II hist. cap. XXV, referunt. Id Concilio autem Seleuciano in provincia Isauriæ, per idem tempus quo Ariminense celebrato, multo protervius debacchati sunt hæretici, tum Semiariani, tum Ariani, qui cum Acacio, et Aetio sentiebant, et Christum dissimilem Patri, et ejus substantiæ expertem esse volebant, sed tamen quia fateri publice Christum dissimilem Patri valde odiosum erat, et prima blasphemiarum Arii incutiebat horrorem, ab eo Acacius ibi abstinuit, et ablegata voce consubstantialis, et æquiconsubstantialis, etiam dissimilem Patri esse negavit, et similem confessus est in sua fidei formula. Sed delusorie, et vafra calliditate: nam interrogatus a Semiarianis Acacius, qua in re intelligeret Filium Patri similem, respondit non in substantia, sed sola voluntate ei similem esse (quasi affectu et voluntate concors et serviens Patri) cum tamen a contraria parte argueretur quod in libris suis dixisset Filium per omnia similem Patri nunc autem sola voluntate similem fateretur; prout refert Socrates libro II hist. cap. XXXI et XXXII. Sed et S. Athanasius in libro de Synodis, ipsos hæreticos expostulat, quod cum in Synodo Antiochena in encæniis, Filium ex substantia Patris, seu similem ei in substantia esse di-

cerent, postea in Isauria, id est, Concilio Seleuciæ, utrumque nomen ablegarunt et homousion seu consubstantialis, et homiusion, id est, similem in substantia.

XV. Postremo, Aetius impudentissimus, et luculentus hæreticus simul cum Eudoxio socio suo, et Eunomio discipulo suo (a quo Eunomiani dicti sunt) et qui tantæ impuritatis erat, ut fornicationi, et cujuslibet insanæ carnis voluptati nullum inesse peccatum diceret, et tamen se divinas res comprehendere putabat, iste Aetius dixit, Filium esse dissimilem Patri, idque coram Constantio imperatore confessus est, propter quod et ab ipso missus est in exilium, ut refert Theodoretus lib. I histor. cap. XXVII, qui et cap. XXIX de Eunomio idem sentiente agit. Ab isto Aetio derivati sunt hæretici dicti Aetiani, sicut ab Eudoxio Eudoxiani, qui tamen Eudoxius ab Aetio dixit se sumpsisse formulam fidei, in qua Christum dissimilem Patri divulgabat, frequentius tamen ab Eunomio denominati sunt Eunomiani, qui et Anomæi, et nomine Eunomii magis innotuerunt, ut inquit Augustinus libro de hæresibus, hæresi LIV.

MACEDONII HÆRESIS CIRCA SPIRITUM  
SANCTUM.

XVI. Exceptit Semiarianorum errorem hæresis Macedonii; cum enim Acacius, et qui ab ejus partibus stabant contra Semiarianos, qui similem in substantia Filium Patri dicebant, immane odium concepissent, ad hoc processerunt, ut Macedonium episcopum Constantinopolitanum episcopatu dejicerent favore Constantii imperatoris, apud quem male acceptus erat, ut referunt Sozomenus lib. IV, cap. XXIII, et Socrates lib. II, cap. XXXIV. Deposuit Macedonius, ipse cum Semiarianis in deterius

lapse, fatentur quidem Filium similem esse in substantia Patri, sed erumpunt in blasphemiam negando divinitatem Spiritus sancti, sed dixit eum esse famulum et ministrum Dei, et de illo ea dici posse, quæ de Angelis, unde et Pneumatomachi dicti sunt: « Quasi de Spiritu sancto litigantes, inquit Augustinus libro de hæresibus, hæresi LVII, quos potius quidam Semiarianos vocant, quod ex parte nobiscum sint, ex parte cum illis. » Sed addit Augustinus: « A nonnullis perhiberi Macedonianos non Deum, sed deitatem Patris et Filii dicere Spiritum sanctum, et nullam propriam habere substantiam. » Cæterum Athanasius in epistola ad Serapionem refert ipsum Serapionem scripsisse sibi de hac hæresi tunc recenter orta, quod: « Dicerent isti hæretici Spiritum sanctum non solum creaturam esse, sed unum quoque ex spiritibus ministris, et gradu tantum a cæteris Angelis differre. » Sed et sexta Synodus generalis act. XVIII, id ipsum testatur: « Macedonius, inquit, Spiritus deitatem negabat, et Dominum, eumque conservum prædicabat. » Quare si id quod Augustinus ex aliorum relatu de Macedonianis narrat verum fuit, forsitan ipsi priorem sensum, et sententiam mutarunt, convicti Scripturarum manifestissimis testimoniis, sicut frequens est hæreticorum mos, in nullo stabiles esse, sed omni vento doctrinæ circumferri, utpote a petra soliditate divulsi. Ut ut est, certe Athanasius a Serapione illo magno Thmuis episcopo admonitus, primus in nefariam hæresim pro Spiritu sancti divinitate fulmem veritatis contorsit, et vexillum fidei levavit. Nihilominus propagata est valde hæresis ista, tam in oriente quam in occidente, tum primum accessione multorum qui ab Acacianis damnati sunt, et Macedonio